



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo literas dederit ad eos qui ad concilium non conuenerant, & de  
pecuniarum in populum largitione. Cap. XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

præberent. Quam rem omnium maxime præcaueri deberes, posse autem facile præcaueri, dummodo quæ apud nos sunt, illis admiratione digna videantur. Neque cuiquam nostrum obscurum esse, vtilitatem quæ ex sacris literis capitur, non omnibus conferre solere. Alios enim delictis ad tempus oblectari: nonnullos in eorum familiaritatem, qui aliquem dignitatis gradum adepti sunt, se calide insinuare: complures, eos qui humanitas & benigne ipsos excipiunt, amplexari: multos muneribus donatos, ad diligendum impelli: sed paucos admodum veræ doctrinæ amore flagrare: & amicum veritatis perraro reperiri. Quare omnibus esse imprimis consentaneum, ut ea quæ ad salutem vtilia sunt, quisque alteri, instar medici, suppeditet, ad eum plane finem, ut apud omnes omnino salutaris disciplina magno in honore habeatur. Ista, cum primis adhortatus est imperator. Ad extremum etiam illud adiecit, ut pro ipso ad deum preces obnixè funde-  
rent. Cum igitur his præceptis eos instruxisset, omnibus fecit potestatem ad sua domicilia reuertendi. Illi lætitia gestientes, redierunt. Ad hunc modum, cum illi qui propter dissentientes opiniones longo quasi interuallo ab se mutuò diuulsi erant, tanquam in vnum corpus essent denuo coagmentati, deinceps vna apud omnes viguit sententia, ipsius imperatoris consensu confirmata.

*Quomodo literas dederit ad eos qui ad concilium  
non conuenerant, & de pecuniarum in  
populum largitione.*

CAP. XXI.

**P**Roinde imperator de prospero rei euentu lætus, illis qui concilio neutiquam interfuissent per literas fructum eiusdem vberem præbuit: populoque vniuerso cum per agros, tum per ciuitates disperso, ingentem pecuniæ vim, distribui mandauit: sicque festum diem ad recolendam vigesimi anni regni sui memoriam celebratum cohonestauit.

M m

Grone